QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-ſextâ Februarii.

M. MATTHÆO DIONYSIO FOURNIER, Doctore Medico, Præſide.

An prima proles, ſanâ corporis conſtitutione, felicior?

I.

OPUS Naturæ, opus eſſe Intelligentiæ non errantis, palam & ubique prædicatur: hæc juxta leges à divino rerum Conditore latas, cuncta perficit quam poteſt accuratiſſimè: has nunquam prætergreditur, inviolatas & conſtantes ſervat in operibus, tam diſtinctè atque ordinatè, ut quaſi ſummo regi conſilio videantur. Verùm operum ſuorum perfectionem non ſemper aſſequitur, impedita crebrò à nonnullis cauſis tum externis, tum internis, & ſubjecto malè diſpoſito, quorum impedimentorum occurſu, à ſuo ſæpè ſcopo aberrare præſumitur. Id potiſſimùm elucet in hominis generatione, in quâ mirum eſt, quam rarò finem expectatum obtineat, quam frequenter in errata & deformitates labatur: in eâ etenim plurima deſiderantur, quæ opus illud admirabile ritè abſolvant & ex toto impleant. Semen quod ſingularum corporis partium ideam refert, cum minimè vitioſum eſt, & dote laudabili ſummâque integritate præditum, ſanguis quoque maternus ſuppeditatus purior, omnem explent paginam; Iis omnia generationis bona feruntur accepta; iiſdemque tanquam firmiſſimis fundamentis conſtituta proles, ſanitatem habet κατ' ἐξοχὴν, quavis gazâ potiorem, cujus poſſeſſione dives, totam vitam non acerbam & ærumnoſam, ſed beatam proſperam & fortunatam degit.

II.

SEMEN ex utroque parente decidere, ratione & experientiâ convincitur, ex cujus miſcellâ mutuoque conſortio perfecta generatio procedit: utriuſque ad generationem hominis neceſſitas ſumma, utrumque fœcundum; privatim invalidum. Id ex ſanguine ad teſtes delato

vi infitâ teftium coquitur atque elaboratur ; & ut natura partes fanguini & lacti conficiendo deftinavit; fic teftes, per infigne illius beneficium, hac feminis efficiendi prærogativâ foli gloriantur. Nullibi quam in utero opus conceptionis abfolvi poteft : fi quando in tubâ , quod rariffimum, ibique tanquam in alieno folo per aliquot menfes fœtus hofpitetur, ut cafus ille omnino alienus eft à naturâ, idcirco funeftus, nec unquam contigit fine matris & fœtus extinctione. Deridendos fe propinant Paracelfi fectatores, dum cum eo non dubitant afferere poffibilem effe formationem homunculi in vitro, ex femine virili & menftruo, intra fimum equinum pofito. Uterus tanquam hortus feraciffimus, effufum femen excipit, concipit, arctiffimè fovet atque complectitur. Seminis pars puriffima, tenuiffima, fubtiliffima, quæ fpiritus genitoris officium fuftinet, in centro ftationem ponit , ibique adjuta virtute genuinâ uteri , & ejus proprio beneficoque calore , uberem partium varietatem, eafdemque temperie , figurâ , fitu, magnitudine diftinctas delineat & explicat : pars craffior & ignobilior, membranis producendis impenditur, quæ fœtum inveftire & circumvallare debent: quod opus fingulare tantoque fabricatum artificio in oviparis clarè difcernitur, germen enim ovi, refert & in fe continet vim efficientem & formantem ; albumen femen eft ; vitellus locum tenet fanguinis, partim ad formanda perenchymata , partefque carnofas conveniens, partim ad nutriendum pullum, donec dulce lumen afpiciat, & pabulum vitæ fuftentandæ accommodatum quærat,

III.

PRÆTER multas animalium differentias paffim apud naturæ genium Ariftotelem recenfitas , juftam nobis eorum divifionem dedit, dum alia conftituit vivipara, alia ovipara magno inter utraque difcrimine. Commentum eft & lufus imaginationis, hominem ex ovo formari. Scrutare hæc naturæ abdita atque abftrufa ; pro explorato habebis tefticulos muliebres ex quibufdam glandulis effe compofitos, quæ femini conficiendo funt dicatæ : intra eos contineri veficulas, in quibus femen affervatur ; hinc per vafa multum flexuofa pro re natâ deferri, aut ad uteri fundum aut ad ipfius cervicem : Et fi paulò attentiorem ad hæc omnia naturæ myfteria te præbeas , planum tibi fiet hafce veficulas liquore turgidas, qui feminis naturam , colorem & confiftentiam exhibet, plurimum ab ovis difcriminari ; hîc effe permanentes, nec habere, ut fingunt, pediculos fimiles pediculis fructuum: tefticulos hofce præter integumentum commune, propriâ circummuniri tunicâ, totâ continuâ, nec ex partibus contiguis contextâ. Ecquis emunctæ naris crederet partem feminis virilis projecti & miffi in uterum,

ferri per tubam, & penetrare tunicam validam & duram, quâ inveſtiuntur teſticuli, quos ovaria vocant, ut ova hæc intus incluſa fœcundentur? Ecquis quoque ſerio putaret tunicam iſtam lacerari, ut per hanc viam ſaliant in tubam tanquam oviductum, diſtantem extremâ ſui parte à teſticulis ſeu ovariis digitorum duorum intervallo, hinc in uterum? An ſine ſanguinis effuſione ob illius tunicæ lacerationem? An ſine doloris ſenſu? An cum privatione voluptatis, quâ ſolent tunc organa generationis deliniri? Adde quod, conſtet αὐτοψίᾳ in cadaveribus mulierum, quæ multos edidere fœtus, nullum apparere in illâ tunicâ cicatricis obductæ veſtigium, & in iiſdem mulieribus parem aut proxime accedentem ovorum iſtorum numerum reperiri, ac in virginibus coævis. Hinc mirare quô novitatis amor ſuos rapiat Amaſios, ut falſis ſemel opinionibus imbuti, neque audire neque videre poſſint, quæ alii omnes tum audiunt tum vident, & quaſi ſurdi & occœcati in hunc errorem præcipites ruant, quem tandem aliquando delet tempus, & quæ natura homini ſuggerit veritati conſona, ratione, ſenſuum miniſteriis nixâ, confirmat.

IV.

QUI ſuprà cæteros ſe valere gaudet, & ſui illius ſtatus bene valentis cauſam cupit agnoſcere, ſecum habitet, atque acri & intento animo intueatur ſuæ generationis primordia; ex quibus benefirmis corpus conflatum, & laudabilem adeptum temperiem, mirificè ſtat atque ſuſtentatur. Ex harum quippe virtutum eximiarum vi, divorum ſimul & hominum voce laudata ſanitas pendet: ex eo fonte qui rectè conformatus & bellè temperatus eſt, ſanus eſſe & optimè valere perhibetur. Hæc divina bona naturalium, vitalium & animalium operum perfectio ſequitur; tantum cibi & potionis appetit quantum poteſt concoquere, ut quibus unà cum ſpiritu vita tenetur, œconomia corporis floret; nutritio partium ejus omnium ad certum numerum procedit, & in modum arboris tenellæ, elegantis, lætæ, & bene cultæ incredibiles facit progreſſus; reſpirationem habet liberam, pulſum moderatum, ſenſus ſanos & integros, pluribuſque aliis dotibus ſe percipit beari, quas ipſi natura liberaliter impertivit: hanc etenim bonam habitudinem & ſanam naturalemque corporis conſtitutionem, animi mores creberrimè conſequi ſolent, quos ſolida virtus plerumque nata potius quam ficta comitatur.

V.

SANITAS ab origine pendet. prima proles hiſce omnibus ditatur commodis, ſi ſalubri utriuſque parentis ſemine & materno ſanguine puriori fingitur: ſi in lucem producta, nutricem matrem

omni conductitiæ nutrici præferendam ſortitur, quæ familiari liquore & illius congenere quem hauſit in primo ſui hoſpitio, tenellum corpuſculum alat. Ex his enim ortus primi rudimentis, quocunque oculos conjicias, vigere in eâ prole vim eamdem intelliges, quæ primùm illi inſita fuit, nulli comparandam, ſi parentes habuerit plenis nubiles annis, qui fido & ſuavi complexu, nec non ſummo prolis habendæ deſiderio, ſacræ litavere veneri; quibus poſtremò nihil defuerit, tum boni habitus, tum conditionum, quæ ad explendum id opus omnium maximè naturale expeti poſſunt. Ex iis ſata hæc proles verè ἐυφυὴς prædicanda veniet: hæc neque frigore, neque æſtu, neque labore facile offenditur: varium habet vitæ genus: modo ruri habitat, modo in urbe; fert omne cœlum; aëre ſerotino non percellitur; ſplendet in ejus facie vividus color, nitorque virens; mens demum ad ſuas omnes operationes paratior eſt & expeditior: ſic per ætatum curſum felix illa proles, modo ſuæ ſit ſalutis conſultrix, & circa laborem, cibum, potum, ſomnum, venerem, exercitationes, moderationem ſervet, illis naturæ bonis dotatur; & ſenii neſcia adoleſcentum ſtatum florentem mentitur, quorum ſcilicet exercitia, equitatum, venatum, ambulationes, animi demum labores alacris & læta valet ſuſtinere.

Ergo prima proles, ſanâ corporis conſtitutione, felicior.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Nicolaus Brunel de la Carliere, Scholarum Profeſſor.
M. Joannes-Baptiſta Doye.
M. Urbanus Leaulté, Pharmaciæ Profeſſor.
M. Michaël Pichonnat.
M. Franciſcus Picoté de Beleſtre, Chirurgiæ Profeſſor.
M. Nicolaus Bailly.
M. Joannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Medicus Regis ordinarius.
M. Franciſcus Vezou.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS FRANCISCUS DUTAL, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1699.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.